

# EPISCOPATUS QVONDAM CURONIEN- SIS SECULARISATUS,

Sive

Summaria Deductio Episcopatum Curo-  
niensem, qui nunc Districtus Piltensis dicitur, ut  
secularem Regno Poloniæ & M. D. Lithv. incorporatum,  
in eodemque statu conservandum esse.



Rchi-Episcopum Rigensem cum suis  
Episcopis, Dorpatensi, Osiliensi, Curoniensi &  
Revaliensi, Magistrumq; Teuth. Ordin. Livo-  
niæ quondam membra & status Romani Imperii  
fuisse, constat ex diversis Romani Imperii  
Recessibus, præsertim annorum, millesimi quin-  
gentesimi, quingentesimi vigesimi noni, trige-  
simi, quadragesimi quinti, quadragesimi octavi, quinquagesimi  
quinti ; quos illi partim personaliter, partim per Internuncios  
suscripsérunt.

Quapropter Serenissimus olim Rex Poloniæ Sigismundus Au-  
gustus, d. m. bonâ fide cavit & in se reccpit, se totis viribus eò in-  
cubitum, ne deditio & subjeccio illa Sibi & Reip. facta, (quæ sci-  
licet mutationem Teuth. Ordinis, Religionis & Status inferebant)  
apud Cæsaream Majestatem, aliosque Imperii Romani Ordines,  
Statibus Livoniæ damno & fraudi sit : in Pactis Provisionis Duca-  
lis, §. Cum autem in conditionibus.

Livoniam verò jam illo tempore cum sub Imperio Romano  
adhuc esset, Augustanam Confessionem recepisse, tandemq; totum  
ordinem Moschi armis attritum, & ab Imperio quasi pro dereli-  
cto habitum, mutato statu & Religione vicinorum Regum Prote-  
ctioni se submissse, Annales temporum, & Pacta subjectionis Li-  
voniæ docent. Idem etiam Piascius Episcopus olim Præmislien-  
sis

sis in Chronica sua Gestorum in Europâ singularium testatur, ubi pag. 51 ait: Religionem Catholicam totam tunc à Livoniâ exulasse ut ne quidem vestigia illius ibi apparerent.

Post Recessum Imperii de Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto, vigore cuius Confessio Augustana culibet permittebatur & Jurisdictio Catholicorum in ejus Confessionis locios suspendebatur, ut multi alii Episcopatus, Abbatiae & Prælaturæ, sic quoq; Archi-Episcopatus & Episcopatus Livoniæ, unâ cum Magistro Teuth, Ordin. ibidem bona sua Ecclesiastica in statum secularem reformabant. Quo jure id factum sit? nihil jam attinet discutere, postquam præfata secularisatio bonorum spirituallium ab anno millesimo quingentisimo quinquagesimo secundo, usq; ad millesimum sexcentesimum vigesimum quartum facta per Instrumentum Pacis Monasteriensis in suo vigore relicta est, non attentis cuiusvis Ecclesiastici vel Politici, intra vel extra Imperium Protestationibus.

Quemadmodum igitur Magister Livoniæ cum toto Archi-Episcopatu Rigensi Serenissimo Regi Sigismundo Augusto & Republicæ Poloniæ certis Pactis & conditionibus, reservato sibi in feudum Ducatu Curlandiæ & Semgalliae: ita Episcopus Curoniensis & Osiliensis cum Nobilitate sua Serenissimo Regi Daniæ se submittebat, reservando sibi certam sumam pecuniariam pro alimentatione suâ & insolatum effusi pro Episcopatibus suis proprii Patrimonii: Reliqua Livoniæ pars Serenissimum Regem & Regnum Sueciæ elegit, & hac ratione singuli Reges derelictam, dilaceratamque Livoniam in tutelam suam receperunt & Subjectionis Titulo sui juris fecerunt.

Fridericus II. Daniæ Rex Episcopatus quondam Curoniensem & Osiliensem, præfato modo obtentos, fratri suo Germano Illustrissimo olim Holsatiæ Duci, Magno, loco Patrimonii ejus cessit & deoccupavit.

Ab eo tempore Dux Magnus Districtum Piltensem usque ad annum millesimum quingentesimum octogesimum tertium, quo vitam cum morte commutavit, titulo ac jure Dominatus Secularis tenuit & possedit, uti ex Connubio ejus, Forma Regiminis Consiliariis suis præscriptâ & Diplomatibus ex illius Cancellariâ emanatis, potissimum vero ex Transactione Dano-Polonicâ in quâ **Dominus Curoniensis Episcopatus nominatur**, evidenter apparet.

Post fata Duci Magni inter Serenissimos olim Stephanum Poloniæ, & Fridericum II. Daniæ Reges, de isto quondam Episcopatu magna contentiō, quæ ferè in apertas belli flamas exarsisset, suborta est: Illo nimirum subjectionem totius Livoniæ prætendente, hoc autem subjectionem specialem & legitimam successiōnem

nem post fratrem suum Germanum Ducem Magnum, urgente,  
quæ tamen controversia tandem, Mediatore Illustrissimo Geor-  
gio Friderico Marchione Brandenburgico Anno millesimo quin-  
gentesimo Octogesimo quinto per solennem & publicam Trans-  
actionem placide sopia fuit.

Hac Transactione inter alia tam Nobilibus quam Oppidanis quie-  
tum Exercitum Augustanæ Confessionis, præter quam  
nulla alia (sunt verba Transactionis) compluribus ab inde annis  
in Ecclesiis illius Episcopatus observata atque culta fuit, relictum,  
& ne ulla alia Religio illis obtrudi, sed ut pari cum Curlandiæ Du-  
catus subditis libertate conscientiæ gaudere debeant constitutum  
est. Quam Confirmationem Privilegiorū & Religionis etiam Eminentissimus & Reverendissimus olim Cardinalis Radzivil cum aliis  
Episcopis & Senatoribus Romanæ Ecclesiæ addictis absque ulla  
reservatione juris Romanæ Ecclesiæ, subscripserunt & approbarunt.

Prætereà inter utrosq; Reges & inclyta Regna solenniter ini-  
ta atque à subsequentibus Serenissimis Regibus confirmata jura-  
taque Transactione, non minus etiam Pactum Provisionis inter  
D. Sigismundum Augustum Regem, & ultimum Magistrum Livo-  
niæ postmodum Ducem Curlandiæ Gotthardum celebrata, in qui-  
bus ipsi hujus olim Episcopatus cum Feudo Ducatus Curlandiæ in-  
corporatio promittitur, item diversæ Investituræ bonorum olim  
Episcopalium per Serenissimos Poloniæ Reges Nobilibus nonnul-  
lis gratiosissimè in feudum collatorum, ac statutariæ Leges per  
Constitutionem publicam Anno Millesimo sexcentesimo undeci-  
mo confirmatæ luculentissimè evincunt, quod hic olim Episcopa-  
tus ut in secularem statum reformatu in clyto Poloniæ Regno ac-  
cesserit & in eo statu hucusque conservatus fuerit.

Denique notandum, in Ordinatione quadam per Commissa-  
rios S. R. Majestatis & Reipublicæ Comitiali authoritate, Anno  
Millesimo sexcentesimo decimo septimo in hunc Districtum mis-  
sus, in vim perpetuæ Legis promulgata cautum esse, (1.) Ut im-  
posterum non nisi Nobilis Indigena in hoc Districtu benè posses-  
sionatus arcu Piltensi præfici debeat, quo ipso Episcopus Livoniæ  
excluditur (2.) Ut Catholicis Indigenis liberum etiam sit Religionis  
suæ exercitium, & ut potestatem habeant fundandi & reparandi  
in fundis suis facella & Templa, non autem ut vetera occupent &  
reforment. Cujus Commissionis caput Episcopus olim Culmen-  
sis & Pomezaniæ fuit.

In quo seculari statu jurisq; Patronatus Exercitio non inter-  
rupto sub felici Regimine Serenissimorum Poloniæ Regum per in-  
tegrum seculum clementissimè conservati sumus, ut taceamus  
anteriora

anteriora tempora quibus Augustana Confessio in hac olim Diœcesi & templis ejus observata fuit.

Quibus non obstat Protestatio per Reverendissimum olim Episcopum Vendensem Ottонem Schenking anno Millesimo sexcentesimo quadragesimo quarto interposita: cum ille Episcopus nullum unquam jus vel competentiam ad hunc olim Episcopatum habuerit, obstantibus nimirum Pactis publicis quorum vigore Districtus hic ut secularis, Regno Poloniæ accesit.

Neque Serenissimi Poloniæ Reges hucusque ejusmodi protestationes per Ordines Imperii & per Generalem Teuth. Ordin. Magistrum interpositas, quicquam attenderunt, vel protestationem interponentibus, propterea ullum jus in terras Borussiæ & Livoniæ concesserunt; prout in Comitiis Spirensibus anno millesimo quingentesimo septuagesimo factum esse, refert Teuth. Ord. Consiliarius D. Joannes Caspar. Venator in suâ historicâ Relatione de Ordine Teuth. Mariano pag 418. & Andreas Maximilianus Fredro lib. I. Gestorum Populi Poloniæ tempore Henrici Valesii p. m. 85. Responsum Reipubl. Legatis Romani Imperatoris datum allegat, ibi: Quantum verò de Prussiâ & Livoniâ non se opus habere Imperatore Romanorum Patrono, in eo quod jus suum teneret arma tuerentur.

His accedit quod non tantum Serenissimi Poloniæ Reges vi-  
gore Pactorum conventorum pacem inter dissidentes tueri tene-  
antur, sed etiam in Pactis Olivensibus Incolæ Districtus Piltensis sub  
Generali Amnistia circa omnia Privilegia & Consuetudines, tam  
in Ecclesiasticis quam Politicis, quibus ante hoc bellum gavisi  
fuerant, conservati sint.

Ex quibus luce meridiana clarius patet, Episcopatum olim Piltensem longè ante cessionem Danicam secularisatum, ultra centum annos sub Serenissimis Poloniæ Regibus in tali statu clementissimè conservatum & imposterum etiam conservandum esse, nec absque lœsione juris gentium, fidei publicæ & Pactorum juratorum, nec absque præjudicio Regum & Principum Europæ, qui ejusmodi Episcopatus & bona olim Ecclesiastica in secularem statum reformata hucusque tenent & possident, in pristinum statum reduci posse.

Sacra Reg. M. & inclyta respubl. sunt in onere Evictionis, quippe qui insæpius laudata publica Transactione universis & singulis Nobilibus & Oppidanis Districtus Piltensis illorum jura, libertates & Privilegia obtenta atque usurpata, non tantum confirmanda, sed etiam ab omnibus Sacr. Regiæ Majestatis Successoribus & Ordinibus Regni in perpetuum conservanda esse, promiserunt.

---